

fragilitatis meae quatiunt fluctus emergentes novarum rerum, vitale est, si potuero transnare ad gremium prudentiae vestre. Hic mihi portus est de omnibus questionibus insperate insurgentibus, si videro in eis vestrum intellectum¹. Quod si forte non semper et per omnia praesens est, quia saepius nubicula sollicitudinum temporalium obducit animum, ne clare aspiciat supernum et semper serenum lumen, est vobis locus a Deo et occasio data, ut quodcumque salubriter indagare coeperitis, adprehendatis, a terminis Histri fluminis usque ad mare Tyrrenum et usque ad fines Germaniae, a terminis maris Gallici, quod est inter Sardiniam et Baleares insulas, usque ad insulas Brittonum² et Scottorum. Oportet excellentiam vestram certare, ut amoveat errores nostros propter talentum acceptum.

Salventur animę nostrę per vestram correctionem, ut frumini dicto: Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius (sive suam, ut alia translatio habet³) a morte. Et reliqua.

Quamvis quatiar in multis presenti rota⁴ nativitatis meae et innumeris, in promptu⁵ operior dilucidari a vestra prudentissima indagatione de his quę per loca in sequentibus titulabuntur.

Quando fui apocrisiarius, quamvis indignus, videlicet minimus a maxima potestate in partibus Grecorum, audiavi inter nostros, id est meos socios, et eos qui ad imperium Grecorum pertinent, diversa sentire de temporibus fixis apud nos sacrorum ordinum⁶. Ut repperi apud quendam archiepiscopum, ipso narrante, de civitatis⁷ Iadhare, sine aliqua observatione nostrę consuetudinis celebrant consecrationem sacrorum. Retulit⁸ quomodo vellet aliquem diaconum promovere ad presbyteratus officium in vigilia pasche. Ipso renuente eodem tempore, promotus est in festivitate sancti Petri in loco, ubi eram, vigilia memorate festivitatis sancti Petri. Erat quidem, ut retulit diaconus, nobiscum qui veniebat, a partibus Romę, confirmans se factum diaconum ab apostolico Leone. Rogitavit me, ut in illo die proveherem illum. Ego ammodum restiti et legato, qui me ducebat, et ipsi diacono, et vix evasi. Socii nostri Petrus abba et sui monachi dissentiebant a meis in ordinatione primi mensis. Dicebant, se velle habere duodecim lectiones secundum Romanum usum semper in prima septimana quadragesimę, in quocumque mense sive tempore mensis eveniret. Ego non habebam quid dicerem, nisi quod scriptum tenebam in nostris libris: 'primi mensis prima sabbati'. Cogi-

1) 'vestrum' von zweiter Hand nachgetragen. 2) Verbessert aus 'Brettonum'. 3) 'habet' von zweiter Hand. 4) 'ta' von zweiter Hand zugesetzt. 5) 'promptu' von der ersten Hand. 6) 'n' von zweiter Hand nachgetragen. 7) Sic! Die Stadt ist Zara. 8) 'R' statt 'r' durch Correctur.